



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1546. usque ad annum 1549

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1770

VD18 90118529

§. 116. Ternatem & Malacam reversus, indeque Goam appulsus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66608](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66608)

LIV.

Sæcul. XVI.
A C. 1547.

§. CXVI.

Ternatem, & Malacam reversus, indeque Goam appulsus.

Igitur Xaverius feros illius Insulæ homines mitioribus ingeniis imbutos ad Christianæ vitæ mores revocavit, eisque fervidis admodum sermonibus inferorum pœnas exposuit, in quas impii per omnem æternitatem damnandi præcipites ruerent, & perpetua divinæ vindictæ, quam spreverunt, victima existerent. His tamen minis Xaverius duntaxat illos territabat, apud quos æque miseratio, ac captandæ benevolentiæ studium Christiano Apostolo dignum nihil amplius proficiebat. Diversis itaque mediis in procuranda Mauricensium salute adhibitis, ac plusquam viginti quinque millibus sacro fonte ablutis Molucum inde repetens Ternatem reversus est, atque ab incolis ingenti gaudio exceptus, integrum semestrem cum illis versabatur, ibidemque opitulante Lusitano Rege societatis suæ domicilium instituit. Postea Amboinios revifurus, eos in fide jamjam annuntiata confirmavit, casamque exiguam sibi, suoque socio e stramentis extruxit. Huic ex eodem opere adjecit sacram ædiculam, ubi nautis, & classariis Confessionis, ac

Bouhours vie de S. Xav. l. 3. p. 102. & l. 4. p. 215.

H h 2

Eu-

XVI.

Sæcul. XVI. Eucharistiæ Sacramenta administraret.
A C. 1547. Demum Mense Julio Anno Domini mil-
 lesimo quingentesimo quadragesimo se-
 ptimo Malacam eo tempore pervenit,
 quo tres alii ex eadem Societate Viri
 Apostolici advenerant, qui postea acce-
 ptis literis in Molucum secesserunt cun-
 cta a Xaverio fata culturi: Ipse vero
 nonnisi exeunte anno inde discessit, post-
 quam Lusitani per ejus merita, ac con-
 silia in Moluccensi Regno ingentem re-
 portarunt victoriam, Regemque Achin-
 num, qui juratus Religionis Christianæ
 hostis Somatræ Insulæ ad Septentrio-
 nem imperabat, strenue profligarunt.
 Tandem Xaverius ineunte Anno repa-
 ratæ salutis millesimo quingentesimo
 quadragesimo octavo Goam con-
 tendit, ibidem Indiæ negotia
 promoturus.

